Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Qua scilicet exeunte tanta illic fragrantia odoris aspersa
est, ut omnes illi qui aderant inestimabili suavitate repleren-
tur, ita ut per hoc patenter agnoscerent quod eam laudes in celo
susciperent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc usque vivit
et cum magno fletu attestari solet. Quia quo usque corpus eius
sepulture traderent, ab eorum naribus illius odoris fragrantia
non recessit. In eisdem quoque omeliis rem narrasse me recolo,
cui Speciosus conpresbiter meus qui hanc noverat me narrante
attestatus est. Eo namque tempore quo monasterium petii, anus
quedam Redempta nomine in sanctimoniali habitu constituta,
in urbe hac iuxta beate Marie semper virginis ecclesiam mane-
bat. Hec illius Hyrundinis discipula fuerat, que magnis vir-
tutibus pollens super Prenestinos montes vitam heremiticam duxis-
se ferebatur. Huic autem Redempte due in eodem habitu disci-
pule aderant, una nomine Romula, et altera que nunc ad-
huc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque
hae in uno habitaculo commanentes, morum quidem divitiis
plenam sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hec autem
quam prefatus sum Romula, aliam quam predixi condiscipulam
suam magnis vite meritis preibat. Erat quippe mire pati-
entie, summe obedientie, custos oris sui ad silentium, studiosa
valde ad continue orationis usum. Sed quia plerumque hi quos
iam perfectos homines estimant, adhuc in oculis summi opificis
aliquid inperfectionis habent, sicut sepe inperiti homines nec-
dum perfecte sculpta sigilla conspicimus, et iam quasi perfecta lau-
damus, que tamen adhuc artifex considerat et limat. lau-